



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

V. Iudex delegatus alii vices suas committere potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO CHRISTI 1179. noueris iustitiam impedire, censura ecclesiastica poteris coercere.

C A P. III. *Idem Eboracensi archiepiscopo.*

Sane si a nobis literæ prius impetrentur, & aliæ postea, non facta mentione priorum literarum, literæ impetrentur, si iudicibus innotuit, donec Romanum pontificem consulant, & suam exinde plenius cognoscant voluntatem, executione literarum debent penitus supersedere, ne pro varietate literarum, causarum fines valeant impediri.

Et hoc iubemus obseruari ab omni administratore, vt si contigerit in scriptis nostram fieri iussionem ad aliquem, & interea quiescat ab administratione, is qui post illum suscepit dignitatem, eam accipiat & insinuet. Et si quidem priuata est causa, implere eam & assequi, quemadmodum ad eum promeruerit rescriptum. Si vero huiusmodi in scriptis iussio publicum ius respicit, inquirat eam, & si quidem non læditur fiscus, quæ in ea comprehensa sunt, adimpleat: Si vero ad læsionem fisci est, nil super ea omnino agi. Nuntiare vero nobis primum oportet, vt secunda de hoc nostra iussio fiat. Si vero ad præcepta cuiuslibet iudicis sunt, & priusquam insinuentur hæc, aut præcipientem, aut ad quem præcepta facta sunt, contigerit remoueri de cingulo, etiam sic qui factus fuerit iudex, hæc suscipiat & exigat, si legitime facta sunt. Si vero contra legem, aut contra ius publicum facta sunt, pro non scriptis esse iubemus.

C A P. IV. *Idem.*

Cum aliqua causa, appellatione remota, committitur, & sententia fertur iniqua, eam vacuare oportet, nec ei debet stari, si manifestam continet iniquitatem.

C A P. V. *Idem Londoniensi episcopo.*

Si pro debilitate tua, vel pro aliqua graui necessitate tractandis causis, quæ tibi ab apostolica sede committuntur, adesse non poteris: liberum tibi sit, aliis personis idoneis & discretis vices tuas committere, ita quod si res tanti est, te consulere debeant: nisi forte causæ ita graues sint, quod sine præsentia tua non possint omnino terminari.

Y y iij